

I. N. 7. C. ORBIV

DISSSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**DEFECTIBUS  
VIRTUTIS  
NATURALIS,**

Cujus PARTEM PRIOREM,  
Suffrag. Ampliss. Facult. Phil. In Régia Acad. Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

**MARTINI JOHANNIS  
WALLENII,**

Matheos PROFESS. REG. & ORD.

*Publicæ censuræ modeste offert*

SALOMON MÖLLER, Sal. Fil.

AUSTRO-FENNO.

IN AUDIT. MAJORI

AD DIEM XXI. JUNII, ANNO MDCCXLII.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impress. JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
**D:N ANDREÆ**  
**GADOLIN,**  
Ecclesiarum, quæ Deo in Bierno, Finby & Ofver-  
by colliguntur,  
PASTORI atque PRÆPOSITO vigilantissimo,  
PATRONO BENIGNISSIMO.

Multum licet non interjecium sit temporis, ex quo felicitas illa mihi contigit, ut in domum Tuam honore dignissimam, informationi Tuorum optimæ spesi filiorum prefuturus, adseiscerer; tot tamen tantaque jam dum expertus sum Tui erga me favoris documenta, ut iis & recensendis & demerendis memet æque imparem esse sentiam. Ne vero immemor prorsus Tuorum in me meritorum esse videar, in tesseram gratæ & venerabundæ mentis, lucubrationes basce incomtas Tibi dicatas atque consecratae volui, quas ut serena adspicere digneris fronte, etjam atque etjam oro & obtestor. Meum erit, ardentissimis supremum Numen compellare pre- cibus, velit Te, Vir Admod. Rev., in annos bene multos omnigena felicitate cumulatum servare, in ecclesiæ com- modum, Tuorumque solarium ac fulcrum firmissimum. Ita vovet, voxbitque ad cineres usque

Admodum Reverendi NOMINIS TUI

Cultor humilissimus,

SALOMON MÖLLER.



## PRÆFATIO.

**P**A est conditio omnium entium, quæ finita utuntur natura, ut non possint non variis laborare defectibus. Quamvis enim alia aliis continue perfectiora deprehendantur, nullum tamen invenies, quod omnibus plane gradibus absoluta gaudeat essentia. Hæc namque gloria illi soli propria est Enti, quod Dei nomine veneramur. Non sinit ratio instituti, ut per genera singulorum eundo hanc veritatem pluribus demonstremus. Quare exempli gratia provocasse sufficiat ad ingentem iubecillatum cohortem, quæ animam nostram perpetuo circumdant. Sive enim superiores, sive inferiores ejus facultates scruteris, in singulis tot observabis defectus, ut eorum vix inire possis numerum. In his primum sibi locum vindicat maxima intellectus angustia, qua illi etiam laborant, qui omnium acutissimi atque doctissimi videri volunt. Quotus enim quisque est mortalium, qui non necesse habeat fateri, oppido pauca esse objecta, quæ satis distincte atque complete cognoscatur?

32

scat? Nimirum namque s<sup>e</sup>pe accidit, ut satis habere cogamur, si alia obscure, alia confuse percipiamus. Et si ea omnia, quae quomodo cunque intelligimus, cum infinita multitudine eorum conferre possemus, quae penitus ignoramus, certo certius inventiremus, illa ad h<sup>a</sup>c vix tantam habitura rationem, quantam habet arenula ad omnes orbis montes, aut guttula ad omnia mundi maria. Ex hac intellectus infirmitate varii nascuntur morbi voluntatis, haud secus ac e radice surculi vel e fonte rivuli. Quamvis enim propria voluntatis natura ferat, ut verum atque bonum continuo diligat, quatenus tamen haud raro, in casibus præsertim speci alibus, dubio utitur lumine intellectus, eatenus neque verum pro indole veritatis, neque bonum pro ratione bonitatis adpetere potest. Hinc s<sup>e</sup>pius usu venit, ut homines turmatim ad captandas veritates levissimas currant, quarum nullus aut exiguus est usus, iis interea neglectis, quarum cognitio ad bene beateque vivendum adprime est necessaria. Nec pauciores sunt, qui summo bono neglecto, illa tantum sequuntur bona, quae adeo exiguam bonitatis mensuram habent, ut nativum felicitatis fructum producere nequeant. Quid? quod maximus mortalium numerus s<sup>e</sup>pe pro veris bonis vera eligat mala, inanem bonitatis speciem mentientia. Hinc & tota plerorumque vita nihil fere aliud est, quam horrida vitiorum catena. Non equidem ignoramus omnibus mundi ætatibus passim floruisse homines, qui tantam virtutis pompam ostentarunt,  
ut

ut integris quandoque populis sui admirationem moverint: Sed hos quidem non tam vera exemplaria, quam qualiacunque virtutum simulacra fuisse arbitramur, nisi forte singulari illos potius vi atque auxilio gratiae divinæ, quam propriarum virium subsidio excitatos nixosque fuisse, quis contendat. Atque hinc jam satis appetet instituti nostri ratio, dum primum specimen academicum edituri, defectus, quibus laborat virtus naturalis, detegere & arguere constituimus. Quod ut feliciter succedat, D. O. M. humillime precamur! Te vero L. B. quo decet verborum honore rogatum volumus, ut opellam hanc nostram, quam benignæ Tuæ censuræ submittimus, in meliorem interpreteris partem.

S. I.

**U**T vero feliciter in defectibus virtutis naturalis detegendis versari queamus, quilibet rem rite perpendens facile concedet, necessarium omnino in antecessum esse, paucis de virtute ejusque natura & indole in genere differere. Neque enim natos rei aperire aliquis potest, nisi qui antea novit, quid eadem res sit, & qualis vera ejus constitutio esse, debeat. Quod igitur ad virtutem adtinet, in eo certe omnes, qui sobrie cogitant, conseantunt, hoc scilicet nomine aliquid eximii intelligi, quod in promiscuam hominum frequentiam non cadit, sed illis solis proprium est, qui vel

naturales animæ facultates & vires ita excollerunt, ut humanæ naturæ præstantiam præ cæteris tueri posse videantur, vel etiam singulari Numinis divini gratia aguntur. Ut enim nemo hominum virtute ornatus nascitur, sic neque hujus vel illius actionis externæ convenientia cum lege, veri nominis virtutis præsentiam in auctore arguit. Jure itaque ipsa conformitas actionum cum lege a dexteritate seu promptitudine ejusmodi suscipiendi actiones, quæ cum norma morali congruunt, distinguuntur, eoque ipso fundamentum suppeditatur, ad generalem virtutis ideam animo formandam. Neque enim nobis vel ad omnes unius virtutis notiones attendere, vel etiam tricas aut minus accuratas antiquiorum virtutis definitiones examinare vacat.

Est igitur virtus: habitus adquisitus actiones suas liberas legi congruenter instituendi, adeoque contrarias simul omittendi. Unde patet, cum, qui virtute est instritus, non solum serio actiones edere voluntati legislatoris conformes, sed etiam libere, libenter atque constanter, adeoque non solum metu poenarum, aut spe commodorum quorumcunque, sed & studio ac desiderio imperata legis faciendi. Et cum sic constanti animi affectione finem illum promovere studet, quem auctor legis per ejus custodiam obtinere cupit, eo etiam ipso propria sua felicitas promovetur & conservatur, animusque simul incredibili lætitiae sensu afficitur, quod tandem efficit, ut cum voluptate ju-

205  
eundissima ad legis præscriptum actiones suas semper componere pergit.

§. II.

Quum igitur virtus sit habitus adquisitus, ut ex generali ejus indole §. I:a breviter expressa, satis adparet; intelligitur ab instituto nostro alienum non esse, paucis quoque modum, quod illa comparatur; adtingere; sic enim non solum magis completam ejusdem adquiremus notionem, verum & melius de perfectione atque defectibus illius judicium ferre poterimus. Ex dictis jam constat, illos habitus virtutis nomine venire, qui ita mentem nostram perficiunt atque disponunt, ut nos actionesque nostras ad voluntatem legislatoris componamus. Qui igitur veram virtutis consequæ rationem inire vult, in id incumbat, ut recte faciendi facilitatem consequatur. Ad hoc vero in primis requiritur, ut quid rectum h. e. bonum vel malum sit, distinet cognoscat, adeoque legem bene cognitam & exploratam habeat. Deinde distinctam pariter de actionibus earumque consequentiis cognitionem animo teneat, necesse est. Scilicet nisi explanatas tam legis, quam actionum nostrarum possideamus ideas, vix ac ne vix quidem ad virtutis studium alendum valebunt. Neque enim audiendi sunt, qui emendationem voluntatis præcedere dicunt emendationem intellectus. Egregie more suo Celeberr. Formey: *Le*

progrès des vertus, inquit, est ordinairement proportionné à celui des lumières, & généralement parlant, le cœur s' épure, à mesure, que l' esprit s'éclaire. Vid. Sv. Merc. 1756 p. 396. Sit vero hæc eadem recti cognitio simul viva, h. e. talis, ut voluntatem ad bonum exsequendum & malum fugiendum fiebat atque inclinet. Hinc suggerat motiva validissima desumpta partim & quidem præcipue ex voluntate legislatoris, partim etiam ex dulcissimis bonarum actionum fructibus, ut & scelerum even-tibus funestissimis. Rite itaque perspecta bonæ actionis virtutisque interiori præstantia atque pulchritudine, facile in animo voluptas oritur. Id autem ex quo mens voluptatem haurit, lubenter toties suscipit, quotiescumque idem fieri potest. Ex actionum crebriori repetitione nascitur promptitudo & proclivitas, quæ bonæ consuetudinis nomine venit, hincque porro savissimus instinctus perpetuo legi convenienter vivendi h. e. ipsissima virtus, cuius laus omnis in actione consistit, ut egregie loquitur Cicero, adeoque ut continuo usu & exercitio hæc gignitur, ita & eodem modo retinetur & conservatur. Abunde ergo iam perspicitur, ad id, ut quis virtutem consequatur, requiri assiduam in primis voluntatis emendationem. Quum vero, huic actionum nostrarum reginæ, intellectum instar consiliarii ad junxerit Sunnum Numen, ita ut ad actus voluntatis rationalis distincta prius requiratur rerum cognitio; facile perspicitur, eo feliores aliquem in

in cultura virtutis facere posse progressus, quo sufficienti magis & distincta intellectus est imbutus cognitione. Sic enim facilis obstacula, virtutis studium vel impedientia vel remorantia, qualia sunt ignorantia, errores, præjudicia, vitia, propensio ad bona sensualia, affectus pravi, malæque consuetudines superantur, & adminicula idem studium promoventia & innescunt & adhiberi possunt. Cuius hinc porro simul perspicuum evadit, non solum tot bonorum habitum species seu virtutes in genere sic dictas dari, quot animæ nostræ facultates existunt, quæ emendatione & moderamine ad functiones suas rite obeundas indigent, sed & *virtutes* sic dictas *intellectuales*, sive habitus intellectus in cognoscendo vero & detegendo falso, rationem in se magis vel minus continere *virtutum moralium* seu habitum voluntatis, actiones ad legem conformandi; neque tamen tam illos habitus, quam potius hos, virtutis proprie & stricte sic dictæ, titulum mereri, quippe quæ, adcurate loquendo, sedem in voluntate habet, quamvis cognitionem intellectus præcedentem requirat, quæ si habitum constituat, eo magis huic inservit emendandæ. Denique etiam hinc eluiscit, cur & nos in sequentibus, ad virtutem in primis moralem respiciamus.

### §. III.

Diximus hactenus, virtutem consistere in studio & facilitate, actiones, quæ imperio voluntatis sub sunt,

sunt, legi convenienter instituendi. Ut vero paulatim ad institutum nostra vergat oratio, enunciatum hoc paululum iam contrahamus. Si enim plura, quam quæ adlata sunt, de habitu ad quacumque legem se componendi, adducere vellemus, dicensorum copia plane obrueremur. Igitur de promittidine legem solum divinam servandi, missis quibuscumque aliis virtutum speciebus, in sequenti agamus. Antequam vero pedem ulterius promovemus ad ea explicanda, quæ præsentis instituti scopum proxime feriunt, ex dictis in antecedentibus breviter colligamus planumque faciamus, in quo virtutis perfectio major vel minor consistat. Quum ad actionem vere bonam requiratur, ut non solum legi sit conformis, sed & ut ex justo suscipiatur motivo; patet in habitu hujusmodi actiones exercendi, h. e. in virtute, ad hæc etiam vel maxime attendi debere. Adeoque virtutem tum demum debita gaudere perfectione, si quis ( $\alpha$ ) ea omnia agat, quæ a Deo præcepta esse, clare, distincte, & cum certitudine novit, idque ( $\beta$ ) non ob aliam, sed eam ipsam præcipue caussam, quia divina id ita postulat constitutio. Si porro ( $\gamma$ ) mens svavissimo impulsu ducatur seu alliciatur ad recta facienda, idque non impetu aliquo transitorio & mox cessante, qui virtutis nomen neutquam promeretur, sed ( $\delta$ ) constanti & perpetuo desiderio atque studio se ad voluntatem Numinis componendi. Quicunque igitur hæc ipsa jam magis vel minus promte observat, ille quoque in majori vel minori gradu

gradu virtute pollere dicendus est. Quum vero nullus hominum omnibus hisce momentis unquam valeat facere quod satis est, ne quidem sapiens, quem per quitem viderunt Stoici, & inter quem atque saxonum aut truncum nihil interesse, dudum testatus est Cicero; satis superque intelligitur, virtutem omnibus numeris perfectam, neminem mortalium, corrupta existente & manente, dum vivimus, natura humana, in hac vita consequi posse, sed semper aliquos defectus in optimi etiam cujuscunque virtute adesse, eodem modo, ac in omni bono opere, certam & ~~irregularia~~ & quandam quoque ~~arrogia~~ occurtere. Atque hinc quisque, vel aliquali utens adtentione, simul deprehendit, in quo defectus virtutis in primis conspiciatur, simulque eadem facilitate intelligit, virtutem non semper æquè deficere; adeo ut hæc fusius hoc loco explicare opus omnino non sit.

§. IV.

Exposuimus (§.2) in genere rationem, quam in iure debet, qui virtutis laudem merebitur, quamvis verè virtuti deditus ne laudari quidem exoptet. Jam cum non iisdem semper viribus habitus ejusmodi apud aliquem producatur, existit hinc illa divisio virtutis, qua in naturalem seu philosophicam, & supernaturalem seu christianam dispeccitur, quam ut rite pleneque intelligamus, placet paucis definitiones genuinas naturæ & gratiæ præmittere. Sunt vero hæc, si quæ aliæ, voces multis admodum significationibus obnoxiae, non igitur observasse pœnitentebit, nos terminis hisce hic eo uti sensu, quo a

Theologis in mortu[m] doctrina adhibentur. Unde  
 dum harum vocum repetimus notiones, neminem  
 nobis vitio versurum speramus, quod in tantum fal-  
 cem nostram in alienam immisisse messem videamur.  
 Est autem natura, ut cum Celeb. Schuberto Phil.  
 Pract. §. 260. loquamur, *facultas congenita illa, arti-*  
*busque interdum & usu exculta, bonum a malo discernen-*  
*di, illud faciendi hoc vero fugiendi, & quæ, hæc ipsa*  
*potentia vel ratio ex suis domesticis principiis bene*  
*agendi suggerit motiva & adminicula, vires naturæ*  
*adpellantur. Gratia vero, eodem definita, id omne*  
*est, quod DEI aut immediata sua aut verbi sui virtute*  
*in cordibus nostris operatur. Unde sequitur, naturæ vi-*  
*ribus tribuendum esse, ideoque naturale hoc loco*  
*dici debere, quicquid homo ratione, revelatione di-*  
*vina nondum collustrata, utens, nec alia peculiari*  
*DEI virtute adjutus, intelligit, agit, adperit aut a-*  
*versatur, efficaciam autem gratiae adscribendum & su-*  
*pernaturale eo respectu vocandum, quod ex ratione*  
*sibi relicta, utsunque maximo studio exculta atque*  
*perpolita, proficitci & produci nequit. His jam præ-*  
*libatis, facile admodum est intellectu, quid virtus*  
*naturalis & supernaturalis sit aut denotet. Scilicet*  
*quoniam habitus ea faciendi, quæ cum lege divina*  
*conveniunt, aut per naturam aut gratiam adquiri*  
*poteat: et jam virtus, uti dictum est, duplex omnino*  
*existit. Si tamen fusiori explicatione utriusque indo-*  
*lem expressisse atque exposuisse juvaret, dicere pos-*  
*semus, virtutem supernaturalem esse ardens & con-*  
*stans studium, omnes & internos & externos animi*  
*corpo-*

corporisque motus libertatis capaces ad voluntatem  
Dei Opt Max. in Sacris literis patefactam adcurate  
dirigendi, ex vero & vivo Dei Creatoris, Redempto-  
ris & Sanctificatoris amore generatum, atque in lau-  
derm æternæ Ipsiœ gloriæ, ut & veram sui aliorumque  
utilitatem semper tendens, tantaque savitatem animum  
permulcens, ut qui verum ejus fructum nativamque  
dulcedinem in Schola experientæ non gustavit, ejus  
sibi notionem completam vix animo formare queat.  
Contra ea autem virtus naturalis, etiam perfectissima,  
si talis sit pingenda, qualis in suis subjectis, non ve-  
ro in hujus vel illius cerebro, actu deprehenditur,  
hæc fere ejus erit imago: ut lucens non ardens, ces-  
sans non constans sit propositum ita se gerendi, ut  
tota vita cum dictamine rectæ rationis convenire vi-  
deatur, ortum partim ex amore Dei, partim quoque  
**ex** amore sui, ideoque partim divinam, partim pro-  
priam gloriam, amicorum patriæque utilitatem pro-  
scopo habens, & in tantum auctorem sui delectans,  
in quantum sibi vel favorem Dei, vel honorem sui  
peperisse videtur.

§. V.

Virtutis naturalis & supernaturalis indolem gene-  
ralem ex antea dictis cuivis constare confidimus, No-  
vimus quidem multa specialius de utraque dici posse,  
in primis de virtutis naturalis diversis generibus & gra-  
dibus, pro diversitate motivorum, quibus mens in-  
ducta hoc vel illud agendum suscipit; sed neque nos  
fugit, a plurimis hæc omnia & quidem recentiori me-  
moria, subtilius esse disputata, adeo ut his diutius

immorari ab hac parte superfluum omnino sit; ab  
 altera vero, in virtutem supernaturalem penitus in-  
 quirere, esset ~~permissum~~ sic ~~ad~~ ~~mo~~ ~~ver~~ committere. Hoc  
 solum verbo observamus, nos dum in præsenti opel-  
 la de virtute agimus naturali, vocem illam latiori sensu,  
 idque jure, ut ex §. 4. constat, accepisse, quam illos,  
 qui nostra ætate, vittutem in *naturalem, civilem, theolo-*  
*gicam, & Christianam* dividunt. Ne tamen adhuc in vi-  
 tium aliquod logomachiaæ alia via incurramus, dum  
 toties virtutis naturalis non solum mentionem facimus,  
 sed & in superioribus jam ejus existentiam aliquo mo-  
 do concessimus atque evicimus; placet etiam paucis il-  
 lam tangere controversiam: *an virtutes sic dictæ natu-*  
*rales eximium illud nomen virtutis mereantur, vel non?* Ne-  
 mo huic literarum generi incumbens facile ignorat,  
 viros eruditione ac pietate conspicuos hic in diversa tra-  
 hi. Ut enim haud pauci fuerunt, qui opera gentili-  
 um legi naturali congrua, vel ut termino latiori eo.  
 que Theologis familiari uti nobis liceat, actiones irre-  
 genitorum, tam privative quam negative sic dictorum,  
 legi divinæ convenientes, non tam opera bona, quam  
 potius splendida peccata adpellare maluerunt; ita mul-  
 to adhuc plures reperiuntur, qui, licet quoque conce-  
 dant, actiones in se bonas edere illos posse innumerias,  
 id tamen absque animi bonitate, ideoque absque virtu-  
 te fieri simul urgent, virtutes ergo naturales non veras  
 esse virtutes, sed splendida pariter vitia dicenda. Nos  
 ingenuæ fatemur, maximam etjam hujus dissensus par-  
 tem, ut sæpiissime fieri solet, a definitione vocum pen-  
 dere.

dere. Nemo enim facile negabit, actiones irregentiorum ad legis divinæ normam compositas quā positivum bonas esse, licet non quā privativum, seu ut loqui amant, ethnice, ethice, philosophice, juridice, civiliter, materialiter & legaliter, quamvis non Christiane, theologicæ, spiritualiter, formaliter & evangelice, adeoque placere illas quoque Deo aliquo modo, legali licet non evangelico sensu, generali et si non speciali complacentia, seu ut auctori naturæ, licet non ut auctori gratiæ. Eodem modo, quod ad habitum bonas actiones faciendi adtinet, lis facilis negotio componitur, si modo rite inter majorem minoris virtutis gradum distingyatur. Ut enim lubentes concedimus immo urgemus, illos qui inter gentiles maximarum splendidissimarumque virtutum elogio condecorantur, nequaquam eum virtutis gradum adsecutos fuisse, qui eos ornat, quorum non duntaxat bona, sed præcipue bene agendi facilitas, gratiam divinam genitricem agnoscit, hoc tamen non obstante existimamus, virtutes naturales non esse penitus virtutis titulo pri vandas. Absit omnino, ut perinde esse judicemus, quo impulsu sive animi proposito aut intentione aliquis ad agendum commoveatur. Intentonem vere bonam ad actionem ejusdem indolis requirimus; sed quum tamen non sola intentio bona opus reddat bonum, neque aliquis illius defectus, præsertim auctori incognitus, opus ex omni parte malum conficiat; sic idem de virtute sentiendum putamus, adeo ut aliquis promptitudinis secundum legem vivendi defectus, non tollat totam proclivitatis istius essentiam & laudem. Quid? quod defectus illius causa querenda sit, non tam in ipsis habitibus volun-

luntatis, quam potius in consiliarii ipsius, h.e. intellectus natura & constitutione. Quo enim melius intellectus suo fungitur officio, eo etiam facilius voluntas emendatur & vicissim §. 2., unde naturæ omnino humanæ convenienter dixit AUGUSTINUS quo plus DEum cognoscimus, eo plus amamus. Jam cum ille, qui in virtute colenda vitiisque extirpandis, illum insumit laborem, quem naturæ viribus præstare valet, rationis solum lumen sequatur §. 4.; quid mirandum, si eam recte agendi propensionem vix ac ne vix quidem obtineat, qua utitur, qui animum divina luce collustratum atque excitatum, ad hoc ipsum contulit.

---

Mon très cher Frère!

C'est fort à plaindre, que la plus part des hommes s'applique seulement à la vertu extérieure, sans avoir égard à l'intérieure. Pour régler cette leur faute si coupable, qui en vérité va les faire périr, Vous avez, mon Frère, avec beaucoup de discretion & de jugement, publié votre bas ouvrage des Défauts de la Vertu Naturelle, comme une preuve de ce, que vous avez bien employé, votre jeunesse, à gagner la sagesse. Continuant donc la même route, & Vous serez en état de surmonter tous les obstacles de cette félicité, que l'érudition & la vertu Vous présentent. Je Vous en félicite sincèrement; espérant, que Vous receverez cette félicitation, comme un témoignage de mon affection fraternelle & perpétuelle. Croyez, mon Frère, que j'adresserai sans cesse à Dieu des vœux ardents, qu'il Vous bénisse à recevoir dignement la couronne de Lauriers, & à devenir un membre utile de la république. Je serai toute ma vie

Mon très cher Frère

Votre très fidèle Frère

SAMUEL MÖLLER.